


ratio, nulla ea-
ram sunt, rerum
œma sacrum »
alienum, quin
sunt studiosius
trimentum, cui
minime affert
inae vitio, non
t divinae fidei,
l utinam haec
nt, ut, ubicum-
n litteris iuven-
es, alumnosque
ut; cui quidem
ud fuit propo-
n hac vita de
t perducere ad
ne gratiae.¹

auspicato con-
optimarum stu-
tis, diligit ca-
Poëtam, quem
laudatorem et
loquentissimum
in amore quo
rectius ad veri-
etis animos, et
o que constan-
des et ferme
munerum pa-
e testem, apo-
mnibus, dilecti
m Petrum, die
ificatus Nostri
XV.

sponsor.

VATICANIS.

ALMA ROMA



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Sarronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

 Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. 

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae.** - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

DE PONTIFICUM ROMANORUM PIETATE ERGA POLONOS

Infelix Polonorum natio, quae multis diutinisque aerumnis fuit vexata, nunc tandem, adiuvante Deo, in libertatem vindicata, sui iuris atque arbitrii facta est. Haec enim praeclaris olim victoriis de hostibus undique relatis insignis, lamentabili casu, saeculo decimo octavo in tres partes miserrime detracta, ingemiscentibus potissimum Italos et Romanos Pontificibus, tristissimam vitam duxit. Hoc Borussi fecerunt cum Moscovitis in odium religionis, quam fidelissimi Poloni colebant atque instantius adversus Christiani nominis osores strenue decertarent.

Manet apud omnes atque in aeternum manebit memoria illius victoriae, quam apud Vindobonam Poloni de Turcis insinuiter retulerunt sub ductu consilioque Ioannis Sobieski, clarissimi viri bellorumque scitissimi. Qui promptiores in obsequium antea fuerant, tunc, mutatis rerum conditionibus, acerbioribus dictis Polonos, insectabantur, quum primum fortuna eis obluctari coepit. Et nemo erat tam ignobilis scurra, quin conviciis eos oneraret: - Praeclarum sane populum,

dicitabant, qui aliena impotenter concupiverit, et sua defendere nequiret! Eo ne tot victorias rediisse, ut fortissima gens, late nuper imperitans, quae extrema captarum urbium sunt, vim et hostiles decursus pateretur? Nunc quid iam reliquum, si quod foedum dictum hostiles equitum turmae omnia licenter ferrent agebantque, si agri, si oppida, flammis collucerent?

Dolendam sane Polonorum vicem, qui hanc belli facem aluiissent!

Tunc adstitit ferox foederatorum invidia, qui nulla iam erga Polonus iustitia ac religione obstricti, communis utilitatis obtentu, nihil prius sibi faciendum putarunt, quam ut improbas pacis conditiones statuerent. Et quoniam tam prospere gestis, in immensum creverant foederatorum animi, iam alia atque alia movere; demum nihil ipsis antiquius fuit quam ut Polonorum nomen abolerent.

Illico benefica Romanorum Pontificum virtus erga Polonus enituit, vixdum genera Polonorum natio, quae plurimos per annos fuerat dominata, in tres partes divisata, miserum in modum defensoribus privata, armisque deserta, et cunctis egens, vitam finivit. Pontifices aegerrime hoc scelestum facinus tulerunt, queritantes, Polonos in tantam invidiam ex magna

gloria incidisse, quod Christiano nomini devoti, pro aris et focus libertatem suam vindicarent. Quid mirum si, quum non esset ipsis « iam patriam antiquam spes ulla videndi » iure meritoque ultima experiri pro imperii defensione conati fuerint?

Ac propterea Romani Pontifices, quibus Polonorum animus notus erat ac religio, perpetuo eos libero ore defendere coeperunt atque inquam probrosamque nationis distractionem damnare.

Nemini dubium videbatur, quin Poloni regionem ab exterorum armis essent vindicaturi, si universa natio simul viribus coniunctis, consurrationem in ipsos aliquando fecissent. At quum singuli insurgerent facile ab adversariis abrumpebantur. Ad haec quum sit « una salus victis nullam sperare salutem », in consilium inierunt praesertim extores societatem simul confandi, ut occulto iniciati sacramento, inter eos qui in patria manserant, signo dato, die condicto, e tenebris conventiculis erumpentes, alacres, erecti, per fora, per conciliabula, volitare et veterem adversariorum captivitatem laxare seque in pristinam libertatem vindicare. Et quoniam pars illa miserior, cui imperitabant Russi, durius haberetur, crudelius identidem, inclinatis iam rebus, caput extollere nitebatur, hostemque molestiis vexando, saepe saepius libertatem speravit.

Quo facto Russi atrociori catena Polenos premere, alios in carcerem durissimam detrudere, alios in exilium agere, alios alia ratione ad internicionem proponendum adducere consueverunt. Sed in tanto armorum strepitu, si omnes circum reges tacebant, Romani Pontifices verba pacis atque clementiam invocare non desierant. Et memoria patrum, quum Russorum imperator Nicolaus I reges per Europam salutatus peragraret, et Romanum quoque inviseret, Gregorium XVI, Pontificem Maximum, venerabundus adivit. Ipse unus, pari se virtute praebuit, et atrocem

hominem praesentem cum dignitate allocutus, de Polonorum sanguine memoriam iniicere haud dubitavit, eumque ad divinum illum iudicem revocans, qui et principes severiori iudicio aliquando examinabit, ad clementiam atque ad iustitiam adducere ausus est.

Re quidem vera omnes mente voluntabunt verbum illius imperatoris in primis probrosum, quod late inter populos superbe spargere non refudit: *Varsaviae pax dominatur!* Haud aliter Romani ubi solitudinem fecissent, pacem adpellare consuerant. Ut olim ad Mincium flumen a conspectu S. Leonis P. M., reverentia perculsus et contremiscens, recessisse Attila Hunnorum dux creditur, sic Nicolaus, gravibus Pontificis admonitionibus immotus et defixus in una mente haeret, frigidusque horror eius membra quatit, et ardentibus oculis intorquens, silens e vaticanis aedibus proficiscitur et in regiones suas recta rapidius contendit.

Paullo post, Pio IX P. M. regnante, semel atque iterum Poloni, tot decora per summam virtutem parta memorantes, iugum durissimae servitutis exuere sunt perperam conati. Quo facto Russorum imperatores, avorum vestigia secuti, crudeliori asperitate in rebelles egerunt. Tunc Russorum barbaries:

*Saevit inops animi, totasque incensa per urbes
Bacchatur!*

Et Pius IX P. M. armis destitutus, admirantibus circum populis, quum effusis lacrimis de filiis male multatis conquereretur, eo ad patientiam fortiter deprecatus, meliora in aevum sperantes, carnivices crudelitatis criminis inurens, divinam Numinis iustitiam in autores invocabat. Memorabile fortitudinis exemplum regnibus exhibuit Pontifex Maximus, quod praeclaris sane laudibus apud populares Italiae oratores, Angelus Brofferius, insignis sui temporis orator, acerrimisque verbis admiratus commendavit.

Actum erat de Polonis, nisi Deus iis auxilio adfuisset, qui rem Polonorum profligatam ac pene perditam, praeter omnium opinionem virtute sua restituit.

Sic res evenit.

Beatus Bobola, qui pro religionis defensione martyr occubuit, anno millesimo octingentesimo nono et vicesimo, Dominicano religioso adparuisse fertur, eique de Polonia et de patriae libertate conquerenti dixisse: « Quo tempore, h̄c, ubi do-lores pro Christo sustuli et vitam feliciter finivi, milites erunt Angli, Galli, Turcae, Russi simul decertantes, tunc Polonia, profligatis undique adversariis, deposita tandem servitute, purior nive ob incredibiles suas calamitates, in libertatem resurget ».

Quod centum circiter annos post, plau-dentibus populis, factum est. Namque im-potentium imperatorum mediae Europae regna, divina veluti vindicta perculta, ce-ciderunt « veluti corpus inane cadit », et populi, opportunitatem nacti, perinde ac si sui iuris atque arbitrii facti essent, in sua quisque regione tamquam respubicae dominari coeperunt. Et tot undique res-publicae surrexerunt, quot erant antea imperiorum provinciae. Tunc mirum in modum, pro re nata, Polonorum respu-blica surrexit, quae illico non solum bellicia laude, sed iustitia, pietate, et munifica liberalitate enituit.

Et Benedictus XV Pontifex Maximus, Decessorum suorum vestigiis insistens, Polonus in re angusta versantes re et consilio adiuvit, eisque, missis ultro mu-neribus, est opitulatus. Et eius magna glo-ria est, qui in ipsis rerum difficultatibus, eorum animos sustulit, ut invicta fortitudine adversariorum audaciam frangerent.

Utinam Poloni, sua in praesens bona cognoscentes, in eodem erga Pontifices Romanos obsequio persistant, quoad se-reno omnibus vultu pax rideat ac fortuna!

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS¹

Montes.

Montes in imaginibus non nisi ut ma-gnitudine quaedam pingatur, adhibentur: (γ. 290) Κύματά τε τροφόντα, πελώρια, ἵσα δρεσσιν. — VERG. (Aen. II, 15): *Instar montis equum*; id. (VIII, 691): *Pelago credas innare revolas Cycladas aut montes currere montibus altos*. — Ov. (Met. XI, 554): *Nec levius quam si quis Athon Pin-dumne revulsos sede sua totos in aper-tum everterit aequor, praecipitata cadit*.

Quid sibi velit THEOCR. (22. 48): ἐν δὲ μὲν στερεοῖσα βραχίοισιν ἄκρον ὑπ' ὅμον ἔστασαν, ἥντε πέτροι ὀλούτροχοι, οὐστε κυλίνδων χειμάρρους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις, optime intelligemus, si brachia statuae cuiusdam, ut Herculis Farnesini qui di-citur, contuebimus.

Mare.

Comparationes a mari itemque a re navalii deductas, quas poëtae tragicci, ut Athenienses, adamant et saepissime adhibent, apud poëtas eligacos, quorum longe aliud erat vitae genus, multo rariores esse non mirabimur. A multitudine undarum depromptas imagines inveni (Δ, 422):

Ὄσ δ' ὅτε ἐν αἰγαλῷ πολυηχέῃ κῦμα θαλάσσης ὅρνται ἐπασπύτερον Σεφύρου ὑπὸ κινήσαντος.

THEOCR. (16. 60):

Ἄλλ' ἵσος· γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ἔσοντα κύματα μετρεῖν, ὅσσος ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἀλὸς ὥθει.

Brevius ANACREONT. (13, 3): εἰ κύματ' οἵδας εὑρεῖν τὰ τῆς ὄλης θαλάσσης, σὲ τῶν ἕμῶν ἐρώτων μόνον ποιῶ λογιστήν.

PHRYNICH. (3): Σχήματα δ' ὅρχησις τόσα
μοι πόρεν, ὅσα ενὶ πόντῳ κύματα ποιεῖται χεί-
ματι νὺξ ολογά.

VERG. (*Georg.* II, 107):

*Quem qui scire velit, ... Libyci velit aequoris idem
nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.*

— (*Aen.* VII, 718):

*Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
saevus ubi Orion hibernis conditur undis.*

Vastitatem maris, ita ut imago vituperationem resipiat, CALLIMACHUS exhibit (*H. in Ap.* 108):

Οὐκ ἄγαπαι τὸν ἀσθόν, ὃς οὐδὲ ὅσα πόντος
ἀείδεται.

Sonitus undarum nobis offertur (*B.* 209): Ήχῆ ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοσβοῖον θαλάσσης
αἰγαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαράγδει δέ τε πόντος.

ANACREON (90): μηδὲ ὥστε κῦμα πόντου
λάλαζε.

VERG. (*Georg.* IV, 262): *Ut mare sollicitum stridet refluxibus undis.* — Ov. (*Met.* XII, 50): *Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis, qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis esse soleant.* — Ibid. (XV, 603): *Murmura, qualia fluctus aequorei faciunt, si quis procul audiat illos.*

Quam suave sit strepitus undarum litus plangentium auribus excipere, Vergilius commemorat (*Ecl.* V, 83): *Nam neque me tantum... nec percussa iuvant fluctu tam litora.* Quam mare sub levibus auris tremulum pulcherrimam commonet imaginem, non neglexit OVIDIUS, qui ter ea usus est. In *Am.* (I, 7, 56): *Membra trementia vidi (ut...) summave cum tepido stringitur unda Noto.* — *Met.* (IV, 135): *Exhorruit aequoris instar, quod tremit, exigua summum stringitur unda.* — *Her.* (II, 75): *Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur unda.*

(Sequitur).

ALEXANDER AURELI.

GREGORIUS VII ET LEX DE COELIBATU CLERICORUM

Trita est quorundam « protestantium » scriptorum assertio, Gregorium VII Summum Pontificem fuisse auctorem legis de coelibatu clericorum. Hanc assertionem repetunt etiam quidam alii scriptores. Verum qui hoc asserunt, aut malitia laborant in Ecclesiam catholicam, aut se omnino ieunos in historia ecclesiastica produnt, prout ex hac brevi disquisitione patebit. Aequum statim in principio animadvertere iudico, me solum habere prae oculis disciplinam ecclesiae latinae.

* *

Repetit ne lex de coelibatu clericorum institutionem divinam, vel saltem apostolicam? Non defuerunt scriptores, qui utrumque hoc affirmarent; et nostris quoque temporibus fuerunt, qui conati essent demonstrare legem de continentia clericorum suam originem duxisse saltem ex institutione apostolica. At argumenta, quae ii proferunt, difficultates non auferunt: ita ut multi sibi ipsis contradixerint et contradicant; nec sine ratione, prout nobis videtur.

Sed si lex de continentia non trahit suam originem ab apostolica institutione, certe suas radices iam in illis antiquissimis temporibus agit et ex ipsis visceribus religionis christiana procedit. Sanctitas ipsa nostrae religionis, necnon immaculatum eucharisticum sacrificium postulant, ut eius ministri casti et puri vivant; immaculati immaculatum sacrificium offerant. Verum est, tribus primis saeculis legem positivam ecclesiasticam clericos ad coelibatum obligantes non inveniri, at ex certissimis tamen historicis documentis elucet, illis tribus primis Ecclesiae saeculis hanc praxim in Ecclesia tum Orientali,

tum Occidentali viguisse: Clerici, qui ordines maiores, — diaconatum, presbyteratum, episcopatum —, iam coelibes suscepserant, tales remanere tenebantur. Si autem iam uxorati ad ordines maiores promoti essent, tunc suas uxores retinere poterant: at in hoc ultimo casu maxima pars clericorum suas uxores tamquam sorores habebant. Hanc praxim, inquam, tribus primis saeculis exstisset, possumus demonstrare ex nonnullis documentis illius temporis. Sic ex. gr. ex Tertulliano,¹ Origene,² Eusebio Caesariensi.³

Etiam synodus Nicaena oecumenica, quamvis legem de coelibatu non tulerit, ut quidam ex 3^o eius canone deducere volunt, tamen idem ille canon assertum nostrum aliquo modo confirmat.⁴ Unde iure

¹ TERTULLIANUS, *De exhortatione castitatis*, cap. 13. — P. L., 2, col. 978: *Quanti igitur et quantae in ecclesiasticis ordinibus de continentia censemur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suaे honorem restituerunt, quique se iam illius aevi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis ...*

² ORIGENES, *In Levit. Homil.* VI, col. 6. — P. G., 12, col. 474, Explicans, quod sacerdotes V. T. non tenebantur ad perpetuam castitatem, de sacerdotibus N. T. dicit: « Sed ego in sacerdotibus Ecclesiae huiusmodi intelligentiam non introduxerim ». — Ex his verbis ergo nobis concludere datur, tunc temporis sacerdotes Ecclesiae perpetuam castitatem observare.

³ EUSEBIUS, *Demonst. evang.* I, I, c. 9. — P. G., 22, col. 81. In hoc capite nono dicit inter alia: « Quippe cum, Deo favente, per evangelicam Salvatoris nostri doctrinam, innumerabiles gentes et populos in urbibus et agris licet nobis oculis intueri, eodem animo festinantes et ad sancta evangelicae doctrinae praecēpta concurrentes, quibus quidem satis superque sit, si doctores ac praedicatorum divini verbi omnibus et vitae vinculis et sollicitudinibus liberati, possint sufficere. His autem ipsis maxime in praesentia, ut melioribus studiis vacent liberius, seiunctus a re uxoria virtus adamatur, veluti iis, qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur: et non unius neque duorum liberorum, sed aervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam ac reliquae instituendae vitae curam suscepserint ».

⁴ HEFELE, *Conciliengeschichte*, II, p. 380 sq.

merito Natalis Alexander¹ potuit hanc conclusionem proponere: « Quamvis Nicaena synodus de clericorum coelibatu nihil statuerit, eius tamen temporibus episcopi, presbyteri et diaconi perpetuam continentiam servabant ex Ecclesiae disciplina diurno usu et ab apostolicis temporibus derivato firmata ».

Haec praxis in tota Ecclesia observata, inde iam a saeculo iv lege positiva in Ecclesia latina sancita est. Primum testimonium historicum quod nobis de hac lege occurrit, est 33^{us} canon concilii Illiberitani,² quod circa initium saeculi iv in Hispania celebratum est. Iuxta hunc canonem episcopi, presbyteri et diaconi perfectam castitatem observare tenentur. Unde pariter inde a saeculo iv et Summi Pontifices et diversa concilia continue urgent observantiam huius legis universalis. Solum quaedam ad hoc confirmandum testimonia profero.

Siricius, Summus Pontifex, a. 385, Himerio, episcopo Tarragonensi, qui ab illo consilium petebat, quomodo essent tractandi illi clerici qui in maioribus constituti a coelibatu observando defecerant, respondit, omnes in maioribus ordinibus constitutos coelibatus lege teneri; illos autem, qui hanc legem non servaverint, depnendos esse.³ Synodus Carthaginensis II, habita sub Genedio eiusdem civitatis antiuste anno 390, pariter 2^o canone praecipit episcopis, presbyteris et diaconis omnimodam continentiam, et addit: « Quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus ».⁴ Inno-

¹ N. ALEXANDER, *Hist. Eccl. Saec. IV*. Dissert. 19, Proposition 2, p. 519, edit. Parisien. 1742.

² Cf. LABBÉ ET COSSART, *Sacrosanta Concilia*, etc., I, col. 974. — HEFELE, op. cit., p. 168. — Verum, de anno huius concilii disputant scriptores.

³ Epist. Siricii Papae ad Himerium. P. L., 13, col. 1139.

⁴ LABBÉ, op. cit., II, col. 1159. — HEFELE, op. cit., II^o, p. 49.

centius I in sua epistola decretali ad Exsuperium, episcopum Tolosanum, qui illum consuluerat quid faciendum esset de quibusdam presbyteris et diaconis, qui legem continentiae violaverant, anno 405 respondit: «Omni honore ecclesiastico privenitur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri». ¹

Post lustra aliqua Leo Magnus, scribens ab Anastasiu Thessalonicensem, hanc strictam legem coelibatus etiam ad subdiaconos extendit. ²

Ab alligandis aliis testimoniis supersedeo; haec enim sufficient ad luculenter demonstrandum, iam saec. IV-V in Ecclesia latina legem strictissimam adfuisse, quae clericos in maioribus ordinibus constitutos ad omnimodam et perpetuam continentiam obligabat. Huius legis observantiam sicut his duobus saeculis, ita subsequentibus, Summi Pontifices et concilia continuo urgebant.

At iam saeculo nono, prasertim autem decimo et undecimo, multae causee contulerunt, ut ecclesiastica disciplina multa damna pateretur. Bella continua, hostiles invasiones, conditio Romanae Sedis ab Italiæ politicis factionibus oppressæ; restriictio libertatis Ecclesiae secum communem morum feritatem et relaxationem disciplinae ecclesiasticae attulerunt. Nil ergo mirum, si illis temporibus in multis partibus lex coelibatus a pluribus clericis conculta fuerit. Unde viri ecclesiastici illius temporis, reformationi disciplinae ecclesiasticae inhiantes, amaris verbis conque runt de hoc Ecclesiae vulnere. Simil tamen illo tempore videmus multos Summos Pontifices, concilia, homines virtutibus et doctrina ornatos omnem curam impendere, ut lex coelibatus, ita a multis

conculta, denuo ad amussim observaretur.

Iam saeculo X s. Dunstanus ¹ in Anglia alacriter huic reformationi operam dabat, et saeculo XI non paucos Summos Pontifices zelo pro Domo Dei praeditos invenimus, qui totis viribus conati sunt ut illud malum radicitus evellerent. Benedictus VIII ² (1012-1024) in synodo Ticinensi (1018?) decreta ediderat contra diversos abusus clericorum, prasertim autem contra «clerogamiam». Leo IX (1049-1054) toto sui Pontificatus tempore contra simoniam, incontinentiam clericorum, diversos abusus et vitia certavit. Inter alia etiam in synodo Romana a. 1050 edidit decretum, quod continentiam clericorum spectabat. ³ Nicolaus II (1059-1061) eodem anno quo electus fuerat, Romae synodus celebravit, in eaque gravissima de re tulit. ⁴ Denique Alexander II (1061-73) per epistolam, per legatos, per synodos strenue et continue simoniam et incontinentiam clericorum impugnavit. ⁵

Omnis isti Pontifices, ut manifestum est, totis viribus adlaborabant, ut clerici legem coelibatus fideliter observarent. At clerogamia in multis locis profundas radices fixerat; malum hoc eradicare et evelere facile non erat; opus erat viri extraordinarii, qui sua vi et constantia clericos

¹ P. L., 20, col. 496.

² P. L., 54, col. 672.

devios et suae dignitatis oblitos ad meliorum frugem reduceret et ad observantiam coelibatus, legis antiquae et sanctissimae, denuo revocaret.

Vir iste a Deo electus, ut eius Ecclesiae in summis periculis constitutae, opem ferret, fuit cardinalis Hildebrandus, qui anno 1073 in Summum Pontificem electus, sibi nomen GREGORII VII imposuit. Praeclaris dotibus animi insignitus, iam sub sex Pontificibus Ecclesiae negotia tractaverat et diversis legationibus functus fuerat. Statum rerum Ecclesiae necnon personas in diversis partibus de visu cognoverat; unde plus quam ceteris mala, quae tunc serpebant et Ecclesiam oprimebant, illi cognita erant.

(Ad proximum numerum).

A. BAČIĆ. O. P.

In honorem et memoriam DANTIS ALLIGHERII

SEXTO POST EIUS OBITUM SAECULO ¹

III.

Quum dies iam ad vesperum declinaret, et hora adasset, qua amici hic inde prolapsi simul convenienter, res admodum nova atque inopina, praeter opinionem, Matthaeo contigit. Solus ipse dum tacitus deambulans secum mente volutat quidquid mox esset dicturus, auscultat ante ostium intermissas quasdam colloquientium voces. Amicos adesse reputans, promptus aperit portam, et sibi citra fidem obvios cernit alacres adolescentes, aetate florentes et hilaritate, qui eum premunt et pene obruant.

— Amiculi, quid vultis? — ait. — Quid hic ante ostium queritantes inter vos video?

¹ Cfr. fasc. mens. Aprilis.

Tunc ille qui natu maior videbatur, lenibus eius verbis factus iam pectore fortis, elata voce dicit: — Adsumus hic tibi adolescentes, qui nunc feris inani in otio hactenus fruimur ... At nuperius, bonum nobis, te egregie de Italorum poëta disserentem accepimus. Curnam, diximus, pereram tam maximum omnium beneficium incuriosi negligemus? Agite dum, dixi sodalibus meis, eamus et nos, et doctum illum magistrum audiamus, qui nos ad grandia alacrius excitabit! Nonne pulcre diximus? Quid tibi videtur?

Et Matthaeus, mira consolatione suffusus: — Quid dicam? — ait — vobis et locus est in aedibus meis, et omnia vobis insuper fausta gratulor, quod iocis omnibus posthabitis ad scholam quodammodo venistis vobis omnibusque aliquando profuturam.

Eodem tempore et ceteri convenerant, qui datis acceptisque salutationis verbis,

Conticuere omnes intentique ora tenebant!

Tunc, in uno veluti stans pede incipit: — Pergratus mihi est et periucundus conspectus vester, suavissimi hospites, et vos in primis lectissimi iuvenes, qui tam frequentes modestum hunc nostrum conventum honoratis, et laudabili sane consilio huc confluxistis, ut Italorum litteris atque communi Italorum lumini ac poëtae obsequium et observantiam hac nostra aetate significaretis. Itaque si mihi gaudeo, quod studium meum aequi benigne faciatis, et me homunculum audire patiamini, vobis attamen amplius gratulabor, quod nostrarum litterarum studiosiores, in Alligherii honorem cultumque vos nobis aetate provectionibus adiungere voluistis. Sic iterum ad rerum memoriam, quas modo in scholis didicistis, aliquantisper adsurgatis!

Quot autem sententiae mira equidem pulcritudine exaratae, pro re nata ex divino carmine profluunt, quae nos ad sa-

¹ LABBÉ, op. cit., IX col. 699. «... statuit et decreto firmavit, ut canonici omnes, praesbyteri, diaconi, subdiaconi aut caste viverent, aut ecclesiæ, quas tenebant, dimitterent».

² LABBÉ, op. cit., IX, col. 820.

³ LABBÉ, op. cit., IX, col. 1067.

⁴ LABBÉ, op. cit., IX, col. 1099.

⁵ Praesertim autem in Longobardia contra uxoratum clericum pugnabat et sic dictam *Patariam* adiuvabat. *Pataria* erat societas fidelium condita saeculo XI ad oppugnandum clericum uxoratum. Eorum capita erant Anselmus, episcopus Lucensis, dein Summus Pontifex Alexander II, presbyteri Arialdus et Landulfus Cotta, et Herlembaldus nobilis laicus. Socii huius factionis non solum erant contrarii clericis uxoratis, sed etiam sacramenta ab eis recipere recusabant. Cf. KAULEN in FREIB., Kirchenlexikon, t. IX, 1595.

pientiam attrahunt atque ad religionem! Ac propterea, ceteris posthabitis, eum nos admonentem audire iuvabit, qui nos ad agendum impellit:

Ast age, longe via est!

Etiamsi poëta de virtutibus, quas *Cardinales* appellamus, mira verborum amplitudine non disserat, quemadmodum de Theologicis est locutus, attamen, uti fas erat, in tam sancto rerum argumento pertractando, germanam Christianorum sententiam sollerter adseruit.

Vel in ipso secundi Carminis initio, quum ad littus accederet ad montis sacri pedes positum, caelum describit saphirino colore tinctum, ob oculos vastum maris aequor, et longe ex improviso ipsis appetret senex tamque verendus

a nato plusquam debeat esse pater!

Hic est ille Cato, quem Alligherius præceteris venerandum omniumque veterum sapientiorem exhibet, qui præter opinionem quatuor virtutes coluit... Sicque quatuor lucidissimae stellae, quae novam hanc regionem exornant, in senis pulcherrima fronte fulgescant, et ipsum solem superare videntur:

*Quatuor illius cingebant lumina stellae
Vultum, ut conspicerem, sol velut ante foret.*²

Hic autem splendor, et cognomento insuper sanctus, nullis unquam stellis accommodatus, quae cunctae simul in sene splendescere cernuntur, signum adsunt scilicet virtutum, quae in Catone admundum referuntur. Et si quid ipsi dubii de hac re adhuc inest, paulo post, in cantu scilicet octavo, in amoeno Principum vi-

reto, dum cupidus respicit caelum, a Virgilio sic compellatur:

*O fili, quid suspicis?
Ipse repono: Ad tres, fulgescit queis polus ille,
I faces.*

Quatuor, ipse inquit, stellae quas mane videbas

*Altero in orbe cadunt: quae prius illae inerant
Succedunt istae!*

Hi duo stellarum nuclei, quorum alter tres habet stellas, et quatuor alter, optime virtutes referunt theologicas easdemque perspicuas. Ecce, forte a me quis quaret, aliae summo mane, aliae ad vesperum apparent? In promptu facile est responsum.

Prior est natura, posterior vero gratia. Mirum ingenium! Virtutes enim Cardinales, homo industria sua generat, atque opere, sub natura legum positus; virtutes vero Theologales sunt divino munere nobis comparatae, cordibus videlicet infusae. Quod quidem etiam atque etiam Alligherius in cantu vigesimo septimo et trigesimo Purgatorii confirmat, et maiori studio de ipsis disserit.

Namque ut poëta caelum ingredi possit, nedum omnis culpae nescius, ut res equidem postulat, sed cunctis insuper virtutibus exornari debetur. Quamobrem ubi ad montis sacri cacumen pervenit, arcanam pompam offendit, quae carrum triumphalem Ecclesiae effigiem prosequitur, atque ad latus eius sinistrum quatuor mulieres, et ad dexteram tres adstant.

*Trina rota ad dextram saltabat foemina laeta
Quarum erat una rubens, ignibus adsimilis.*

Ecce caritas! Et spes:

Altera erat veluti corpus foret omne smaragdi...

Et fides:

Tertia parebat nix uti lapsa modo.

Stellae plurimae, quae ceteris tempore praecedunt, deteriorem naturae

sue conditionem demonstrant. Ast enim, vates:

*Quatuor ad laevam vestitae murice saltant
Unius ad nutum quae tria lumina habet!*

Prudentia namque res praeteritas certnit, futuras longe prospicit et praesentes obtinet. Ipsa est Sororum egregia dux et omnium regina. Quemadmodum excellentiā virtutum omnium ac dignitatem praefrerunt, purpuram tamquam reges induunt.

Ut vero olim regalis potestas omnē hominum dignitates excedit, sique vates veterum morem secutus, inter praecipuas virtutes ponere haud dubitavit *Iustitiam*, quae omnibus prædit, neque hesperus neque lucifer sic admirabilis est, ut ipse in *Monarchia* exaravit. Atque adeo eum nobis in exemplum tamquam morum arbitrium potiusquam elegantiarum, ac sanctitatis vitae insignem moderatorem patiamini salutare. Haud aliter populus Romanus, cuius vestigiis mordicus instituit noster, qui ex Vergili sententia:

Iustitiaque dedit gentes frenare superbias.

Iustitia enim præceteris rectum præponere utilibus suadet, et felices unica populos facit. Ad eam reges potissimum respicere iubeo, qui sapienter regere populos velint atque ad gloriam ipsos ad surgere. In ipsa sint pertinaces et fortes, quia *Fortitudo* illa virtus est, quae hominem constantem in virtutum exercitio reddit rebus in adversis, quaeque facit ut

*si fractus illabatur orbis
impavidum feriant ruinae.*

Et quoniam Horatium in medium retuli, in mentem revocare iuvabit, quid ipse de Romanorum magnitudine narrat, qui pauperiem pati et duros perferre labores pro nihilo habuerunt. Ipsi fuit insigne *Temperantia*, et gloria fuit *vivere parvo*.

Ipse Horatius, etsi molliter nutritus, civibus sui temporis dicere haud desinet,

Quae virtus et quanta boni sit vivere parvo.

Et Dantes noster labores memorat toleratos in sacro carmine concinnando,

Unde fui fractus multos macer ipse per annos.

Namque haud sufficit - monet - virtutes cognoscere modo, sed et obtinere est opus eisque exornari, si ad caelum ingredi aliquando quis voluerit.

Atque ideo Beatrix, vix est curru triumphali delapsa, in qua sedebat, acerrime ipsi obiurgat.

Quibus contumeliis eo ipse moerore conficitur, ut humi examinis procumbat.

Tunc Mathelda manu eum arreptum in flumen Lethen, quod limpidissime fluit, ei omnia præterita e memoria detergere nititur, eumque ab aquis mirum in modum iterum ablatum quatuor foeminis offert, quae eum sibi comitem addunt, atque identidem canunt:

*... Nymphæ hīc sumus, astraque in alto
Antequam Beatrix aethere lapsa foret
Illius ancillæ fuimus ...¹*

Quae nihil aliud significant, quam hasce virtutes hīc in terris hominem comitari atque exornare; in caelis vero nullum esse labore, sed gloriam modo atque splendorem. Ista sunt insuper Beatricis, Dei sapientiae, ancillæ, cui hominum virtutes insigniter inserviunt.

Iuvat propterea intimius virtutes animadvertere. Canunt enim:

*... Ducemus ad eius
Nos te oculos; lumen in eius ibi
Exacuent oculos tibi tres, quae flumina trans sunt
Intimiusque vident ...*

Quae scilicet ad veritatem adipiscendam facilius ducunt, quaeque unice ad Deum cognoscendum ducunt. Ipsae hominum conditionem etiam atque etiam in

¹ Andiam, chè la via lunga ne sospigne.

(Inf., 4).

² Li raggi delle quattro luci sante
Fregiavan sì la sua faccia di lume,
Ch'io 'l vedea come il sol fosse davante.

¹ Noi sem qui Ninfe, e nel ciel semo stelle;
Pria che Beatrice discendesse al mondo
Fummo ordinate a lei per sue ancelle.
(Purg., 31).

dies humo extollunt atque ad sidera ele-
vant, et mira animos voluptate praeter
modum afficiunt; unde Alligherius, quum,
virtutum cardinalium hortatu, ad Beatri-
cem respiceret,

*Dumque cibo admirans mens frueretur eo,
Qui satiando sitim simul excitat, intexerunt
Tres divae choreas, angelicis numeris.*

Ad *Temperantiam* pertinet et *Vere-
cundia*, quam noster non modo multis lau-
dibus cumulat in *Convivio* (IV), sed se
ipsum in exemplum exhibit, quum otiose
gentium rumorem prosequitur, et merito
a Virgilio corripitur:

*Dicere quid poteram, nisi: Ergo? Sic ego dixi
Quo veniae dignus saepe rubore quis.*

Fortitudinis pars habetur *Magnanimi-
tas*, quam vates in primis vidit apud Can-
grande Scaligerum, cui tertium carmen
dedicavit, cuiusque munificentiam amplis-
simis laudibus exornavit, et ea quoque
verborum ac sententiarum excellentia, ut
nihil supra:

*Illiis celebris sic magnificentia fiet,
Ut non hostilis lingua tacere queat.
Dixit res, aetas renuat quas credere praesens!*

In hoc vero magno virtutum certamine,
haud silentio Alligherius poterat praeterire
celeberrimam illam Virginem, quae
omnibus exornata splendoribus, creditur
amabilis et nive candidior, intemerata sa-
pientiae sedes praedicatur et foederis arca,
atque lilio nitentior a sancto Bernardo
perpetuis atque suavissimis verbis attol-
litur. O bona mater, in Te spem posuit
Italus vates dum de tua gloria cogitat, nec
sua ipsum spes fecellit: et nos Itali magnis
acerbitatibus dilacerati eius exemplum se-
quuti, in Te spem ponimus, dum auxilium
potentem pie recolimus. Ne frustra spes
nostra stet, o Bona Mater, facito, atque in-
testinis odiis abdicatis, Italorum studia in
Iesum eiusque Vicarium incende.

Quae quum ita sint, iuvenes ornatis-
simi, et vos, suavissimi hospites, laeti ad
finem progredimini; et quoniam Itali

homines ad vatis sepulcrum, honoris causa,
undique ovantes accurrunt, sexcentesimum
annum ab eius obitu recoientes, ne
sit grave haec verba pronis auribus acci-
pere, quae vos salutatus ex eius carmine
in rem nostram decero: « Maturato opus
est, iuvenes, et non properato; de constantia
non vanis ingeniis sunt vetustae, sunt
novae legis praecepta, est Pastor qui ad
ovile vos agat. Hoc uno salutem niti me-
mineritis. Et nos praesertim Itali ultricem
iram expavescimus, quae Dei tacitum pe-
ctus pertentat. Hic nempe fuit testis tem-
poris, lux veritatis, magister vitae, nuntius
et vindex castae Italorum vetustatis ».

Salve igitur lumen Italiae atque orna-
mentum, quem primum omnium parentem
patriae appellamus, qui primus in toga
triumphum linguaeque lauream meruisti
et facundiae atque italicarum litterarum
parens, omnium triumphorum lauream
adeptus es maiorem ... Ipse, auditores,
nobis sit dux atque magister, et dominus
noster sit, eumque libentes et grato amore
sequamur.

Novissimis hisce verbis acceptis, ma-
xima omnium laetitia adsurrexerunt omnes
oratori laeti gratulantes; deinde alii alio
festinantes dilapsi sunt.

SUBALPINUS.

HORAE SUBSECIVAE

I

Templum et Officina.

CARMEN HUNGARICUM VICTORIS DALMADY
LATINE REDDITUM

*In turre, tectis quae sacratis imminet,
Crux surgit auro fulgida;
aes et canorum clangit, uni deferens
Trinoque laudes Numini.*

*In Officina prominet Fumarium,
spiramen atrum Tartari,
fuliginem quod evomens, feralibus
involvit umbris omnia.*

*Audax ut est - sic multa plebs obmurmura
monstrosa frons Fumarii,
quaes semet infert sorde plenam caeruleo,
Crux unde fulget, aetheri!*

*Exsurgat o qui fumidam, qui foetidam
vindex Columnam diruat!
Prius tamen salutet ulti orae aureum
Orbis redempti Symbolum ».*

*At Crux benigne: « Ne quis - inquit - civium
in Officinam saeviat!
Est omnis ars honesta, iussa quamdiu
Divina non infregerit.*

*Hymnum Deo suum strepentes concinunt
per Officinas machinae;
probus labor sacerque cultus optime
iunctis vigebunt viribus ».*

FRANC. X. REUSS.

II In memoriam Ioannis Grace

ALUMNI EPHEBEI S. FIDELIS
IN AMERICANA CIVITATE HERMAN
MORTE IMMATURA TERRIS EREPTI

*Hortus ut vernans Schola nostra floret;
namque virtutes ibi litterasque
discit ardenti studio colitque
lecta iuventus.*

*Singulos ornat sua laus alumnos:
hic nitet pura nive liliorum;
ille, ceu flammans rosa, caritate
fervet ab alma.*

*Dulce fragrantem violam Ioannes,
omnium victor, referebat; ergo
Flosculum Rector superum beatis
intulit hortis.*

C. P.

AESTHETICAE NOTAE

Subiectivismi sententiae de reali pulchri existentia.¹

Subiectivismus multifariam divit; primusque Platonicus occurrit, qui et subiectivismus idealisticus vulgo appellatur. Aserit scilicet Plato animam humanam, iam antea existentem, ob quandam culpam in corporis carcerem fuisse detrusam; obiectum proprium cognitionis nostrae «ideas» esse universales et necessarias; intuiti-
onem puram idearum difficultem nunc reddi sensationibus; omnem in hac mortali vitae scientiae acquisitionem reminiscientiam esse illarum idearum, quas antea mens intuita fuerit in statu separationis.

At vero non plane constat quaenam sit
natura idearum istarum (boni, iusti, pul-
chri...) quas Plato ut obiectum statuit hu-
manae intuitionis; id est utrum sit aliquid
subsistens in se, vel in Deo, vel in alio
mundo intelligibili. Attamen passim et
aperte fatetur Plato esse obiecta pulchra
in se et habere voluntates proprias....
Quidquid autem sit, ideae pulchri innati-
tismo supposito, Plato in absurdita incurrit.
Idea enim ingenita, seu efformata indepen-
denter ab obiectis externis, haud potest
iisdem vere indubitanterque tribui. Quapropter
nostra nunc rerum pulchrarum
contemplatio vel nulla esset, vel dubia.

**

Sequitur Subiectivismus Kantianus,
qui tenet pulchrum nullam habere obie-
ctivam realitatem, vel saltem de ea nullo
modo certiores nos esse. Kantius enim pul-
chritudinis doctrinam exponit secundum
generalem rationem suam, quae novitatem,
obscuritate, antinomias constat. Laus ei-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis MCMXXI.

forsan tribuenda est, quum grassanti materialismo saeculi XVIII sese opposuerit; sed incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim.

Namque, ad rem aestheticam quod attinet, post tot tantasque Kantii laboriosas subtileisque pulchri investigationes, affirmations et negationes, contradictiones etc., hanc conclusionem ex eius doctrina quisque legitime deducit, non dari «aestheticam physicam», seu scientiam de reali pulchri natura, quod rerum naturas scire nequeamus; nec dari «aestheticam metaphysicam», quia metaphysica sine physica, id est «realitate», sit somnium delirantium et domus sine fundamentis.

Ad hoc tandem devenit amplissimus philosophus empirico-criticus Königsbergensis, qui tot ingenia detorsit atque prisciae philosophiae fastigia funditus evellere adnus est.¹

**

Post hunc Kantianum «criticismum formalisticum», recenseri debet *Subiectivismus trascendentalis* sive *pantheisticus*, contendens nullum dari pulchrum in naturae artisque operibus, et omnia esse apportionem, evolutionem unius Entis, «τὸν Ego» (Fichte); vel unius Entis absoluti (Schelling); vel unius «Entis-Ideae» (Hegel).

Quod quidem sistema adeo erroneum et absurdum est, ut unum idemque omnia faciat, ipsum *esse* et *non esse*, ultra quod humana ratio aberrare nequeat. Post tam enormia haec, mirum esse non debet si istorum unusquisque se ipsum esse arbitratur Ens realissimum, absolutum, summa intelligentia potentiaque praeditum... et profitetur reliquos homines nihil aliud esse,

nisi vana phaenomena. Atque tamen scholas aperiunt, libros conscribunt isti «Soli-pistae»; nec desunt qui eos libenter audiunt, iisque commoda vitae ministrent!

**

Restant Subiectivismus «*sensisticus*», et «*psychologicus*», quos alias ad trutinam revocabimus.

G. LEPORE.

COMMUNIA VITAE

De officiis¹

- Iniuriarum memoriam tolli funditus ac deleri oportet. - Obruenda est illatae iniuriae memoria. - Iniuriae evellendae sunt ex omni memoria (conterendae sunt voluntaria opinione). - Amittenda (supprimenda) est iniuriarum memoria. - Offensiones et iniurias condonare (remittere, obliterare) decet. - Offensionum praeteritarum oblivione interposita, in gratiam Titii redire convenit.

Iniuriam accipere ac perferre debemus. - Ignominiae acerbitatem devorare (sorbere; absorbere; exsorbere) viri humilitate praediti est. - Iniuriae nobis illatae voluntaria obliuione conterendae sunt (oblivione perpetua extinguendae; ex animo delendae; e memoria deponendae). - Iniurias coquas.

Atqui cum nemine tibi prorsus convenit! - Tui mores ab omnium moribus abhorrent. - Alienus tu es ab omnium consuetudine moribusque. - Ita te morosum difficileque praebes in consuetudine, ut neque tu quemquam, neque te quisquam ferre possit.

¹ Doctrina aesthetica Kantiana in *Lectionibus*, *Considerationibus in pulchrum et sublime* et in *Critica iudicii* continetur. Cfr. B. CROCE, *Estetica*: I Teoria, II Storia, pag. 285 et 296 in editione Sandron, 1902.

1 Cfr. fasc. sup.

Mea sententia in pacem vergit (inclinat; fertur; propendet). - In pacis studia proclivior (propensior) sum. - Pacem sollicitare malo. - Pacis auctor inter vos esse volo.

Dissidentes Titium ac te studebo pacificare (conciliare; componere; coniungere; pacatos reddere; reconciliare; in concordiam adducere; in pristinam concordiam reducere). - Inter discordes vos pacem libenter reconciliabo (componam; consti-tuam). - Perturbatos vestros animos tranquillare (pacare) conabor. - Vestrarum animarum discordiam ipse definiam (sedabo; dissidium componam; controversiam dirimam). - Instaurabo inter te ac Titium benevolentiam. - Curabo ut mutua odia reiiciatis (ut odium amore commutetis; ut, depositis odiis, mutuam benevolentiam suscipiatis). - Studium meum in hoc erit, ut inimicitias (simultates; odia) deponatis (abiiciatis; dimittatis; voluntaria obliuione conteratis). - De mea sententia (meo consilio) ita te geres, ut omnem ulci-scendi voluntatem ex animo deponas.

Dabo operam, ut Titii animus, qui ante erat, idem in posterum erga te sit (ut Titius sit in te, sicut antea, animatus). - Id pro viribus efficiam, ut si quid alienae opinionis aut parum amicac voluntatis adversus te suscepit, totum illud abiiciat (dimittat; deponat). - Te cum Titio concordia constituam (in concordiam reducam). - Dissidentes vos ad concordiam (ad animorum mutuam consencionem) revo-cabo. - Omnem voluntatem in eo ponam, ut alter de altero, optime, ut par est, sentiat.

- Si id fueris consequetus, hoc beneficio (his gratiis; favore) cogitationes meas viceris (superaveris). - Opus hoc tuum cum dignitate convenient. - Optime de nobis meritus eris.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

PRO IUNIORIBUS

IUDITHA

(HISTORIA E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA)

I.

De Iuditha, nobilissima omnium feminarum, scribere constitui, in cuius virtutibus commemoratur, quod, Holopherne caeso, Bethulienses de rebus summis desperantes in libertatem vindicarit. Sed antequam operi manum admoveo, decere existimo rem paulo altius repetere, quo magis magisque omnia in aperto sint.

Inciderat in Sardanapali tempora aetas illius Arbacis, satrapis Mediae, qui postquam multas gentes perdomuerat sibique subiectas fecerat, urbem amplissimam Ecbatanem saxo quadrato construxit, et immani magnitudine turribus communavit. Praeterea, quoniam omni genere copiarum abundaret, superbia sese insolentius efferebat. Verum enim accidit fere, ut florentissimi tyranni scelerum suorum luentes poenam, volente Deo, rerum humanarum spectaculum praebeant. Nabuchodonosor, non ille nobilis Rex, sed alter qui altero Assyriorum imperio, a primo Ninives excidio, annum iam duodecimum, Sargon exceperat, pro maiore dominatu summa ope nitens, erga Arbacem in campum Ragau exercitum eduxit, adeoque prospere decertavit, ut uno concursu bellum cooperit atque patrariet. Tali modo quum fama et opibus immodice crevisset, non solum regiones propinquas Ninive - ibi enim regnabat - sed et alias magnis intervallis distantes ipsamque Aethiopiam attingentes, invasit animo, petitiisque per nuntios ab habitatoribus ut in suum ipsi arbitrium potestatemque venirent. Qui denuntiatione nihil perterriti respondent legatis nunquam se id sponte sua esse facturos, eosdemque sibilis et conviciis

oneratos uribus exigunt. Homines dolore incensi domum revertunt, et primo quoque tempore certiorem faciunt Regem ex iis locis demigrasse se, rebus insectis, ac satis habuisse quod manibus temperatum sit.

Postquam Nabuchodonosor cognovit rem longe aliter ac ratus erat evenisse, ira commotus enuntiavit repulsam non esse inultam impunitamque dimittendam, sed severe vindicandam. Erat imperii annus decimus tertius, dies secundus et vi-cesimus primi mensis, quum synedros, militum castrorumque praefectos sibi in consilio adesse iussit. His praesentibus: «Quoniam - inquit - animo proposui omnia sub meam ditionem subiungere, annitar ut qui contumacius sese gesserunt, eos armis ad ditionem cogam». Quod in tanta hominum frequentia nullus fuit adversus infinitam praedonis istius cupiditatem pa-tronus iustitiae -licet enim omnibus com-muni iure gentium sua tueri - Holophernes delectus est imperator ad bellum gerendum. Hic maximo studio in talem expeditiōnē viritim legit peditum centum viginti milia, equitum sagittariorum duo-decim. Ex Syria parari sibi iubet affatim frumenti et commeatum; magnum numerum iumentorum, quae in usum belli fo-rent, cum pecoribus ipse transportat; quantum auri atque argenti collibet ex aerario promit; sic paratus proficiscitur.

Quacumque iter facit urbes capit, ca-stella expugnat, provincias sub Regis po-testatem redigit, resistentes occidit, agros diripit, laetissima sata flammis absumit. Id fuit causae cur ex ultimis terris ad eum legati mitterentur oratum ut, quoniam vo-luntate ei se dederent, vi abstineret: si vellet se servituros servitutem. Tum Holophernes iuvenes, qui ferendis armis es-sent, ex unaquaque civitate conscribi iussit, brevique tempore in Assyriorum exerci-tum tanta multitudo coaluit, ut mortales omnium generum, aetatum atque ordinum,

pressa ira, crudelissimo imperatori, gau-dium et laetitiam agitantes, obvii procederent. Neque vero his rebus lenitus est ani-mus eius ferox: nam et lucos, qui summa religione colebantur, incendit ea mente, ut divini honores nisi Nabuchodonosor non tribuerentur. Qui quidem quum peragras-set Syriam Sobal, Apameam et Mesopo-tamiam in Idumaeam pervenit, ibique dies triginta moratus est, quo et copias omnes contraxit ad cogitata perficienda.

II.

Tam magno et propinquuo tumultu He-braei permoti, timentes ne perinde formi-dolosus hostis auderet in se ea patrare quae in ceteras urbes fecisset, ac praeterea Dei O. M. templum sacrilegiis profanaret, editiora loca praeoccupatum miserunt, Hiericunte tenus, milites suos, communierunt oppida muris, frumentationem confecerunt. Inter haec negotia Eliacimus, summus sa-crorum Antistes, qui et publicis rebus pra-erat, - per eos enim dies Manasses Rex captivus adhuc Babylone tenebatur - de pe-riculo docuit Hebraeos confirmavitque ut Holopherni, maximo cum exercitu adventanti, occursarent. Id facile effici posse, si fauibus obsessis, montium altitudines in-siderent. Quum autem vir prudentissimus intelligeret humanis artibus non semper in bellis refringi impetum adversariorum, ad supplications et ieunia confugiendum esse ostendit. Sacerdotes, ut luctuoso tem-pore solebat, se et aras cilicias operuerunt: genitores ante templum prostraverunt humi puerulos suos, ad quorum innocen-tiam Deus respectum haberet. Post id factum Eliacimus invisit praesens omnia oppida Israëlis; afflictas mentes erexit, pol-licitus pro certo, si in inceptis persisterent, a Deo sibi victoriam datum iri: maxime quod occurrebat ad animum, Amalecitas, licet belli instrumentis et apparatibus egre-gie instructos, Moysi succubuisse. Ex eo die, piacularibus sacris et prece non inter-

missa, divinum numen sceleribus violatum universi placare studuerunt, impetrabilio-remque faciebat supplicibus opem isthaec obsecratio, ne in sua iniuria Dei ipsius ma-iestas et potentia despiceretur.

(Ad proximum numerum).

F. MILLOZZIUS.

ANNALES

Londinensis novus conventus.

Novus Londinensis conventus, quem in superiore eventuum recensione nostra nunciavimus, primis Maii mensis diebus habitus est ad triplex argumentum discep-tandum, scilicet de damnis a Germania resarcendis, de deponendis armis atque de puniendis recentis belli sontibus. Foe-deratae nationes unanimi consensu iterum affirmarunt deberi a Germanis fidem pree-stari Versaliensi foederi ab ipsis subscrip-tum; concessisque nonnullis facilitationi-bus ad pecuniam solvendam, diem iis dixe-runt ipsius mensis decimam secundam ut iussa exequentur; sin minus valles iuxta Ruhr flumen iri occupatum. Hisce cognitis, administratorum Germanicum collegium a munere sese abdicavit; alterum, quod pri-die fatalem diem suffectum est, populi legatos noctu congregavit, iisque erga vi-tores populos ditionem persuasit.

* *

Rebelliones atque tumultus in Si-lesia superiore.

Dum haec Berolini fiunt, in alta, quam vulgo nuncupatur, Silesia gravis rebellio insurgit ob prolatam vocem, fore ut ori-en-talis Silesiae regio, in qua maxime indu-striae florent, a populi sciti Commissione Germanis attribueretur. Poloni sub Kor-fantis cuiusdam ductu oppida atque civi-

tates a Ratibor ad Rybnik per vim occu-pant: eos repellere Germani conantur, Italique qui cum foederatis nationibus ad ordinem servandum milites suos in illis regionibus habent, et ad pacem concordiamque restituendam accurrunt, Pess in urbe, impetrunt atque male mulcantur... Res anicipi vice agitatur adhuc, Anglia-que nova subsidia illuc mittit.

* *

In Aegypto seditio.

Seditio altera in Aegypto evenit, quam perhibent a dissensionibus cum Graecis provocatam: sunt vero qui asserunt alium hunc fuisse Aegyptiorum conatum, ut sese ab Anglorum, quod dicunt, iugo liberarent.

* *

Gallica legatio apud Apostolicam Sedem.

Post disputationes tot, tanta que adver-sariorum irrita conamina, restituta tandem est Gallica apud Apostolicam Sedem lega-tio; quod Gallorum genti et Catholicae Ec-clesiae bono felix faustumque sit!

Kalendis Iuniiis MCMXXI.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Ad aestivos calores arcendos, pariter atque ut nos a pluvia protegamus, **umbelas**, neque mirum, adhibemus, quas tamen ad eas rationes effectas his diebus vidi, ut antea nunquam. Sunt enim ad patellae for-mam, sunt ad instrumenti quo... lumina extinguntur; atque nescio an utraque pro officio suo valere possit. En itaque aliae «modae» argutiae, de quibus me-mini in nostro commentario *Subalpinum*, ni fallor, lerido more suo scripsisse; quod si ad illas hodie redii, non feci tantum ut

rem prorsus ridiculam adnotarem, sed ut modae magistris illis foeminis - (spectant enim haec, usque nunc saltem, ad cultum muliebrem) - notitias aliquas de umbellarum historia proponerem, unde fiat iter ad effingenda nova umbellarum exemplaria, per quae novissima umbracula invehant. Nihil enim sub sole novi!

Teneant igitur umbellarum usum antiquissimam repetuisse originem. Videntur apud Sinenses umbellae fuisse ortae, inde que ad Aegyptios et Assyrios transmigrasse, regibus principibusque reservatae. Sinensis quidam liber, cui titulus *Tcheou-Li*, qui centum supra mille annos ante Christum natum scriptus est, pariterque toremata Ninive atque Iava in insula reperta, neque non sepulcrorum atque aedium picturae Thebis ac Memphide, Graecaque vasa atque Etrusca, plures umbraculorum varietates exhibent. Quamquam apud veteres, in Graecia praesertim atque Iudea, illiusmodi umbracula ad sacrum usum adhibebantur; serius ad profanum prolata sunt; in Perside primum, tamquam regium insigne; Romae deinde ut praetorium.

Quid, si nunc pro foeminis in foro patronis, quae in dies cum Superum gratia augescunt, umbellae huius praetoria forma inducatur?...

**

In aestu, raptim et prius quam par esset opprimente, cum Bernerio nostro ipso hodie insistam, delecto ab eius carminibus illo, in quo **Dolum aquae plenum** descripsit, quo ad temperandum calorem nobiliores suo tempore Urbis viae irrigabantur; quodque nos pueri vidisse memoramus: mansit enim rude hoc machinamentum donec, puteis clausis, atque tuborum rete aquas distribuente, sub solo posita, per totidem tubos, et hos gummaceos, opportunis locis aptatos, aquarum fluctus in vias dispergirentur. Ubi autem huius generis, ut ita dicam, pessuli deficiunt, Berneriana dolia perseverant adhuc, sed « progressui »

accomodata: ferrea enim sunt; aquam mechanice emittunt, currus ex sese trahitur, non quidem ab equo, asello, mulo, scilicet ab illo animali productis auribus ingenti, « cui nomen - ait Bernerius - species tertia turpe dedit »; neque « retro pergit adolescens sordidus et madidus », sed carreto tamquam in regali solio antea sedet motusque rei moderatur.

Si vero haec in Urbe sunt immutata, in pagis, quum viae « liquidae aquae fonte rigantur » ad pulverem sedandum potius quam ad temperandum calorem, haud difficile est occurrere in dolium quoddam ex iis, quae affabre suo more Bernerius versibus quasi insculpsit, prout sequitur:

Aestiva fervent dum tempestate calores,

Hos hominum mites reddere curat opus.

Alta ubi Nobilium consurgunt tecta domorum,

Has prope diffusis terra madescit aquis.

Est quaedam ex iunctis trabibus compacta

[duabus

Magnis, et rudibus, machina recta rotis.

Dolum inest super impositum, quod cingula

[vallant

Ferre, nam ex ligno non satis apta forent.

Est latum, atque patens suprema ex parte fo-

[ramen,

Ex fonte ut facilis decidat intus aqua.

Dein lignum duplex producitur ante rotun-

[dum;

Est medius, vinclis undique cinctus equus.

Est retro tubus ex corio circum undique clau-

[sus,

Impete labentis ne reseretur aquae.

Extrema in parte est tubus aeneus, estque ro-

[tunda haec

Lamina contiguis plena foraminibus.

Avvinctus pendet funis, qui longior exstat,

Atque totum circa volvit implicitus.

Dicit equum lacera praecinctus veste mini-

[ster;

Saepius et munus supplet asellus equi.

Saepe etiam est animal productis auribus in-

[gens,

Cui nomen, species tertia turpe dedit.

Sic trahitur moles aquae cum pondere; retro

Pergit adolescens sordidus, et madidus.

Explicat hic funem, explicitum producit; aqua-

[rum

Nota sibi, guttis ut madefiat humus.

Impugnat cunctis manibus partem ergo mi-

[nister

Extremam funis, nodus abire negat.

Impletur tubus, emittuntque foramina guttas,

Lineae ab emissis multiplicantur aquis.

At mihi iucundum est varios tunc cernere

[motus

Huius, qui funem, haud absque labore,

[quatit.

Hic pedibus terrae. fixis, iunctisque movetur;

Membra retro pendent, et trahit, et trahi-

[tur.

Ad dextram, ad laevam, funem quatit ergo

[vicissim,

Et sensim fervens tota madescit humus.

Forte viatores occurrunt: ille recedit,

Hic timet, iste domus limina celsa petit.

Contrahit hic membra, et muro contracta pro-

[pinquat,

Turbine ab effuso distet ut ipse magis.

Exclamat vulgus, cui saeva cupidio nocendi

[est:

« Heus tu ne timeas, proiice tutus aquas.

Imbre superfuso Ganimedes ille lavetur!... ».

Hic audit, cautum sed docet esse timor.

Vix operi finis, calidas quam temperat auras,

Quae diffuse, solum sic madefecit, aqua.

Siccine querat homo aestivos lenire calores?

Ast Erebi flamas forte timere nequit.

Quae leviter corpus laedunt compescere cu-

[rat:

Quae cruciant animam, despicienda putat.

*

Iocosa.

Tuccius in paterno horto intendit galinario. Vicinus quidam per iocum eum interrogat:

— Heus Tucci! Pullum gallinaceum a sene gallina dignoscisne?

— Papae!

— Undenam, quae?

— Ex dentibus.

— Heu! Gallinis non sunt dentes...

— Atqui mihi sunt, dum eas elixas de-
voro!

Tuccius in schola:

MAGISTER: Quot sunt elementa?

TUCCIU: Quinque: Terra, aer, aqua,
ignis, vinum.

MAGISTER. Vinum?.... Quid dicis vi-
num!...

TUCCIU. Non ego dico; omnes dicunt
vinum esse tuum elementum!

Aenigmata.

I.

Spargit me Phoebus, spargit me candida Luna,

Spargit me lampas turicremusque focus.

Me lege retrosum, praefixa litterula una:

Proh dolor! E patria cedere cogor humo.

II.

Dat finem pars prima; movet pars altera bi-

[lem;

Scit totum pravos carpere versiculis.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1] vulgo *Rebus*: O
super be ne super bias ter raes, et in ter-
ram i bis = O superbe, ne superbias;
terra es, et in terram ibis. 2] *Cor-sica*.

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

ITALO RAULICH. *Pagine sparse del Risor-
gimento*. — Aug. Taurin. edit. I. B. Paravia
et C. — (Ven. lib. 10).

FR. AGOSTINO GEMELLI. *L'origine della
famiglia*. Critica della dottrina evoluzionista
del socialismo ed esposizione dei risultati delle
ricerche compiute secondo il metodo psico-
logico storico. — Mediolani edid. Societas
Vita e Pensiero, 1921. — (Ven. lib. 5).

I fioretti di S. Francesco con prefazione
di GIOVANNI JOERGENSEN. — Indidem. — (Ven.
lib. 8).

SAC. FRANCESCO OLGIATI. *I nostri giovani
e la purezza*. Brani di vita ed esperienze per-
sonali. — Indidem. — (Ven. lib. 2,50).

LEO IV

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

CONST. Et amplius! Terrae regina gentium,
Suis quae gentibus regit et moribus.
Nos tris et patribus dedit sapientiam!¹
Scimus nos ingrati eam si repellimus.
Parentis almae ducti, sed dulcedine
Eam visuri venimus nunc aequore,
Tot per angustias lata sed facillime...²
At, at, quae novitas! Recentia moenia
Cingunt Urbem, fossae coronant, val-

[laque,

Eamque ab hostium tueruntur impetu.

PUBL.³ Nec hanc vidistis longo iam tempore?

CONST. Ab annis quinque!

PUBL. Recte res componitur.

Heu! saepius nimis ruerunt advenae,
Hostes profecti suis e littoribus,
Per flumen quondam victorem, taciti
Urbem turbabant, diripiebant pessume,
Licebat omne quidque in mentem ve-

[nerit!

Cives, sic pressi multis impressionibus,
Auxilium petunt semper a Byzantio ...

CONST. Et imperator?...

PUBL. Strictus incursionibus

Satis ab hostibus qui surgunt undique,
Eos vix finibus potest depellere.

Adsunt Europae gentes fortes ultimae,
Et adversarii feroce Asiae,
Quibus adstabant multi vix exercitus.

CONST. Et imperator quid pro Roma providet?

PUBL. Modo Legatum mittit ad Pontificem,
Ei ut suadeat se hostibus committere,
Simul vel inire foedus amicitiae;
Sic iras tandem leniet tumentium.

CONST. Mihi res prorsus narras incredibiles!

Quid ipse Pontifex respondit Caesari?

PUBL. Ut olim Gallis Camillus victoribus.

CONST. Quid?

PUBL. Armis Romam non incerto foe-

[dere,

Quod infregissent proclivi Barbari.

Quid ipsis foedus? Laceranda chartula,

Quam lacerabunt pro convenientia!

CONST. Eos sapienter noscit quam Pontifex!

PUBL. Precatur insuper, pacatis animis,

Inter quos noster Byzantius noverat,

Eamdem fidem, qui sequuntur integrum,

Simul certatim conferant concordiam,

Ut omnes Vandalo compescant, ar-

[ceant.

Foret sic omnibus late pax gentibus.

CONST. Quae mens sagacior! Consilium com-

[modum!

At, at, Byzantius?

PUBL. Superbus abnuit!

CONST. Haud posset Barbaris inservire melius!

PUBL. Quibus sed ab oris huic vos adpellitis?

Mihi videmini Romae vos advenae.

CONST. Venimus Africa, cives fidissimi!

PUBL. Vos autem prorsus estis adversarii?

CONST. Quid dicis?

MILES. Romae sumus nos propitii!

PUBL. Sed Afri nuper sunt adgressi ...

CONST. Neutiquam!

Erant fortes Arabes quos fugimus!

MILES. Liquimus

Ob ipsos patios fines.

MILES II. Sunt Barbari!

¹ Submisse.² Fingit curiose inquirere.³ Accedens ad Constantem.